

*Diploma Henrici VI. Imperatori Bonifacio Marchioni Montisferrati. Ex Collectione documentorum edita in causa Montisferrati.*

86

MCXCIII.

In nomine sanctæ, & individuae Trinitatis. Henricus sextus Divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus. Ex consueta benignitatis nostræ clementia, quam circa fideles nostros tenemur ostendere, diligentiam nostram merito apponere debemus, ut eos, qui ad honoris nostri exaltationem, fidem indefessam, & præclara virtutis suæ obsequia constanter exhibent liberalibus feudis; & congruis honoribus ditemus, præcipue cum ad beneficium nostrum amor sanguis, quo excellentiæ nostræ sunt astricti, serenitatem nostram ardentem inducat, & hortetur. Quapropter notum facimus universis imperii nostri fidelibus præsentibus, & futuris, quod nos attendentes puram fidem, constantem devotionem, & indefessa obsequia, quæ dilectus consanguineus noster Bonifacius Marchio Montisferrati ad exaltationem gloriæ nostræ ferventer exhibuit, & in posterum intendit certissime exhibere ad honoris, & dignitatis suæ augmentum, imperiali clementia ex consilio, & voluntate principum, & fidelium imperii jus suum recognoscentes, damus ei, & filio suo Wilielmo, & in redum feudum concedimus, oppidum nostrum Cæsaream cum omnibus, & universis pertinentiis suis in theloneo, portu, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, terris cultis, & incultis, cum omni honore, servitio, & jure, quod imperium in prædicto loco, & suis pertinentiis dignoscitur habere. Statuentes, & imperiali sancientes edicto, ut nullus Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla Civitas, nullum Commune, nullaque omnino persona humilis, vel alta, sæcularis, vel Ecclesiastica prædictum consanguineum nostrum Marchionem, & filium ejus Wilielmum in hac Majestatis nostræ concessione gravare audeat, vel aliquo modo præsumat molestare. Quod si quis attemptaverit mille libras auri purissimi pro pœna componat, quarum medietatem Fisco nostro, reliquam vero partem injuriam passis volumus persolveri. Ad cujus rei certam in perpetuum evidentiam præsentem paginam inde conscribi jussimus, & Majestatis nostræ sigillo aureo insigniri. Hujus rei testes sunt Gualterius Trojanus Episcopus, Bertoldus Cicensis Episcopus, Conradus Palatinus comes Reni, Otto Palatinus comes Burgundiæ, Albertus Dux de Tetke, comes Bartinan. de Kirebe, comes Diepoldus de Kerse, comes Albertus de Spanehim, Merlo de Plozach, Cuno de Mincenbe, Hartianus de Budingem, Walterius de Echelbe, Engelardus de Winsberre, Masquardus Dapifer, Henricus Pincerna de Lut., & alii quamplures. Signum Domini Henrici sexti Romanorum Imperatoris invictissimi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXCIII., indictione XI. regnante Domino Henrico sexto Romanorum Imperatore gloriosissimo, anno regni XXV., imperii vero tertio. Dat. apud

Geisenusen per manum Sigelloi imperialis aulae protonotarii ij. non. decembris.

*Conventiones inter Commune Aquarum, & Septebrii.*

MCXCIV.

87

Breve recordationis de societate, & vicinio Aquensium, & hominum de Septebrio, & de hominibus Aquensis Civitatis, quia homines de Septebrio juraverunt consulibus Aquensibus, & eorum civibus. Juraverunt siquidem Revellus Turchus, Petrus Niger, Ribaudus Sagner, Arnaudus de Ponte, Guido Diucie, Petrus Zucha, Wilielmus Sclavus, Arnaudus Filiberti, & Ruffinus Testa, & alii de Septebrio habitatores Aquenses, & omnia communia Aquensis civitatis, & nominatim fodrum dare si contigerit, quod communiter accipiatur in civitate Aquensi, murare, fossa dare, & alia fortia Civitatis, & nominatim juvare cives Aquenses, & eis valere omnibus modis sicut vicinis, & sociis; in hostem cum Aquensibus civibus ire, & hæc omnia homines de Septebrio pro suo posse juraverunt pro se, & pro liberis. Item eodem juramento tenentur annuatim ferre dimidium totius suæ nare (forte blave ex docum. n. 88. col. 104. lin. 4.), & eam recondere in Aquis, & omnes tenentur habere domum in Aquis, ita quod saltem inter, & non plures decem unam simul habeant, & unicuique unam liceat habere. Et ad invicem dominus Joannes Resterius, Obertus Rabia, Ubertus de Burgo, Ajcardus, Manfredus Guastarava, & Ruffinus Done consules, & alii cives Aquenses juraverunt hominibus de Septebrio juvare eos, & eis valere modis omnibus, quibus poterunt, sicut habitatoribus, & civibus suis, & annuatim eis mandare, quod decem eorum ad minus ad electionem consulam veniant, & qui unum de Septebrio consulem eligant, qui cum aliis Aquensibus sit consul de Septebrio, & de Aquis. Pro societate vero, & vicinio eorum de Septebrio habendo consules, & Aquenses cives redemerunt a Domino Ugone Aquensi Episcopo fodrum quod homines de Septebrii soliti erant dare Aquensi Episcopo, & eos a præstatione fodri liberos, & absolutos effecerunt pretio, seu quantitate trecentarum librarum Papiensium propterea data, & absoluta Episcopo infra scripto. A præstatione quoque Curadiæ debent esse homines de Septebrio immunes pro ista data quantitate, qui domum in Aquis habuerint, ex quo habuerint. Pro ista præstatione Curadiæ evitanda liceat eis inter decem, & decem unam domum simul habere, sed non pluribus decem liceat simul habere. Et hæc omnia cives Aquenses, & homines Septebrii per se, & omnes suos hæredes sub pœna centum marcarum argenti dandi Camerae Imperatoris, & totidem parti fidem, & istum juramentum volenti servare super sancta Dei Evangelia de cætero rata, & firma tenere bona fide, & sine fraude juraverunt. Factum est hoc anno Dominicæ Incarnationis MCXCIV., indictione XII., die lunæ III. idus januarii in capitulo Canonicorum Aquensium. Ego